

aquas plurimas redundauit. Hester X^o. Atque ex hoc principio, licet nomen Autoris in Codice non appareat, liquet, illum Petri de Pulka opus esse; ab eodem enim Textu orditur is sua in I. ad Corinthios Commentaria, ut infra videbimus. Tempus scriptionis e calce manifestum fit: Anno 1412. 9. die Nouembris. lecta 15. die decembris.

Quae pietas antiqua dedit, rudibusque figuris

In levi pinxit corio mansura per aevum

(Sic certe voluere) et erant mansura per aevum

Omnia, Custodum ni turpis inertia tradat

Muribus aut blattis, aut Ignorantia scindat

Forfice luxurians.

CCVIII.

U. 187 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 343. ejusdem cum praecedente conditionis, et ab eodem M. Petro de Pulka eidem Librariae legatus complectitur Eius *Dubia super Epistolam ad Romanos*, ut praefert Titulus a manu coaeva adfixus. Ineunt: *Hic dubitatur primo an beata virgo Maria mater Christi et consequenter Christus descenderint de stirpe dauidica* &c. Vide et Codices sequentes.

CCIX.

U. 186 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 311. 4. currente calamo perscriptus et olim legatus pro *libraria Collegij Ducalis in Vienna* a M. Petro de Pulka T. D. de quo Viro celebri et *Conspectus Hist. Univ. Vien. et Pars I. Scriptorum* ejus p. 95. agit, et nos

Codicem antice vestit Membrana mutila hebraica priore columna exhibens *Textum Job c. 42. v. 9 — 16. altera Proverb. c. 1. v. 4 — 18. bene exaratum, atque punctatum. Juvat cum Foppenio in Dedicat. Opp. Diplom. Aub. Mirraei non semel ingemiscere fato ejusmodi Monumentorum,*

frequenter meminimus, complectitur ejus *Commentaria scholastica in I. Pauli ad Corinthios Epistolam* hoc ingressu: *Transmeato iam duce domino primo fluuio maximo et altissima diuine sapientie abyssio Epistola videlicet beatissimi Pauli ad Romanos, nunc ejusdem me confortante gratia secundum aggreddiens fluuium transuadandum Epistolam videlicet ad Corinthios* &c. Finito Prooemio exponitur etiam Argumentum illud: *Corinthij sunt achaici* &c. Commentaria autem sistunt ad Epistolae ipsius Caput *ult.* seu XVI. cujus non nisi V. 1. adscriptus est.

CCX.

Codex praecedenti per omnia U. geminus, Folior. 416. complectitur *Dubia per Venerabilem et Eximium Artium et sacre pagine professorem Magistrum Petrum de*